



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.  
Vsque Ad. Pavlvn. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

**Angelis, Paolo de**

**Roma, 1621**

Cap. XVIII. De processionis ordine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13873**

DE SACRAE IMAGINIS  
BEATÆ VIRGINIS MARLÆ  
TRANSLATIONE.

Cap. XVII.



Iacobo Serræ  
S. Rom. Eccl.  
Card. Imaginis  
B. Virg. transla-  
tionis cura com-  
mittitur.

**R**OSTQVAM Paulus V.  
Pont. Max. facellum extru-  
xit, ornauit, atque precio-  
sis mobilibus, & ministris  
instruxit, tempus adesse  
credit, gloriosam Imagi-

nem ex antiqua sede in hoc facellum trans-  
ferēdi. Quare Iacobo Serræ Cardinali, tunc  
verò Sedis Apostolicæ pro Theſaurario, onus  
imposuit, qui sapius cum Canonicis de hac  
re agens, nec non Congregationem consu-  
lens, fuit constitutum vltima Ianuarij Do-  
minica peragendum; nimirum die 27. an-  
no 1613. Pontifex in hac solemnitate ple-  
nariam Indulgentiam impartitus est; qua  
publicata, omnia disponere cæperunt, &  
quidem Præsidenti, ac Ædilibus, vt vias cu-  
rarent, mandarunt, per quas Processio in-  
cedere debebat: Populi Romani Conserua-  
toribus vt eisdem sericis adornarent. Die  
Iouis 14. in prima noctis vigilia Canonici  
sanctam Imaginem ex antiqua sede magno  
ordine, atque pompa hymnis, & psalmis gra-  
tias agendo in nobilissimi sacrarij Aedicu-  
lam ab eodem Pontifice conditam deduxe-  
runt, vbi in Cupressi arca auro exornata

fuit posita; litanisq; decantatis in armario  
conclusa, in quo Domini nostri cunę serua-  
bantur, & hæc carimonia vsque ad secun-  
dam noctis vigiliam durauit. Sequenti die  
ad omnium aures penetrans, maior Cardin-  
alium pars, Principum Legati, atque Pa-  
tritij Romani accurrerunt, tanta populi fre-  
quentia, vt vix posset verbis efferi. Quare  
die sabbathi in sacrarij ara velut ampliori lo-  
co collocarunt. Eadem die Cardinalis Serra  
Canonicis S. Caroli Borromæi, & S. Fran-  
cisæ reliquias tradidit, duobus ex crystallo  
vafis egregiè formatis inclusas, quo simul  
cum Virginis effigie in pompa ducerentur;  
nec non etiam Virginis Imaginem, qui si-  
mul cum Vicario secunda noctis Vigilia-  
eam in Arca collocauit super ferculum ex  
serico ermesino coopertum, aureis tænijs  
atque lemnitis eadem materia conditis; huic  
duas tabulas addiderunt, quibus in antero-  
ri parte Reliquias disposuerunt, & quidem  
S. Caroli à dexteris, S. verò Francisæ à fini-

**A** ftris: posteriorem arcę partem cum argenteo  
serico contegentes. quo factò illam claufe-  
runt multis luminibus in sacrario accensis,  
post litanias decantatas. Die Dominico an-  
te lucem Vicarius atque Canonici, & alij  
Ecclesiæ ministri sacram Imaginem in Ba-  
silicæ medio Altari posuerunt cancellis cir-  
cundato à duabus tenis conclusa, vbi Ponti-  
ficis milites custodierunt, & frequens popu-  
lus veneratus est, donec fuit inde sublata.  
Hora processiones aduentante monachi, &  
sodalitates vniuersę simul cum Romana Cle-  
ro & Pontificis musicis se obtulerunt miram  
pietatem præferentes, quibus albos cereos  
latis prægrandes tradiderunt. Hæc Processio  
à maiori Basilicæ Porta egressa est, & ad  
sinistram vergens per aream progressa, quæ  
Vrbem respicit. Tum ante sanctam Puden-  
tiam ad patritiam vallem dirigens, ad su-  
burram deducta, versus sanctam Luciam,  
in silice conuersa est. Hinc infra S. Marti-  
num de montibus, & S. Praxedem præter  
grediens ad viam peruenit à Laterano ad ta-  
lem Basilicam ducentem, quam Gregorius  
XIII. publicæ vtilitati intendens, magnificè  
aperuit anno Iubil. 1575. Hanc viã ditissi-  
mi apparatus, atque aulaa omnē exornabāt  
nonnullis Altaribus egregiè, & splendide  
erectis. Et quidem vnum ante S. Pudentia-  
nam adstabat, vbi sacram effigie primò col-  
locarunt: alterum ad Suburram, in quo se-  
cundo loco: tertium in S. Lucia in Silice, vbi  
itiidem posuerunt paululum requiescentes.

Processionis  
via.

Tria Altaria  
pro sacra Imagi-  
ne in itinere re-  
ponenda.

DE PROCESSIONIS  
ORDINE.

Cap. XVIII.



**V**M esset hora procedendi,  
Monachi, & sodalitates de-  
scriptum iter susceperunt,  
quos Clerus inſequebatur,  
cui Pontificis musici adhe-  
rebant; ad hos Romanus

**E** Senator, & Conseruatores succedebant, Prio-  
res, & Capitoli Collaterales pro thenſis per  
totam Ecclesiam ferēdis; nam per reliquum  
viæ id onus facti Petri, & Pauli Equites subie-  
runt. Post hæc viginti quatuor Canonici ex  
tribus Patriarchalibus comitabatur mirificè  
exornati, nimirum octo S. Mariæ maioris, octo  
S. Petri ad Vaticanum, octo S. Ioannis Late-  
rani; ex quibus octo semper sacram effigiem  
gestabant, Collegij Germani alumnis admi-  
niculantibus. Postquam Hierosolymitanus

V 3 Patriar-

B. Virg. Imagi-  
nis dispositio, cui  
in Processione  
deserebant.

Priore & Cap-  
tani facere. Cui  
legi, & inſerui-  
mignat collegi-  
lia, & potestati  
ferre habere  
alioquin Cap-  
lanorum.

Ex matris  
muni Priore  
Capituli de  
quibus mat-  
300 Priore, &  
ſeu. 100 ſing-  
Capituli nec  
ſeu. 100 ſing-  
ſia & alia  
pro Cam. ſta-  
cullibet et  
ſicia.

Patriarcha sacrae Imagini, & Reliquijs thura combuffit, Canonici S. Mariae Maioris ad hoc difpofiti Imaginem fufceperunt, & ufque ad S. Pudentianam deduxerunt; quo cum perueniffent, ante aram collocarunt, D. Petri Canonici assignantes, qui ufque ad S. Luciam in Silice deduxerunt: ex hoc loco reliqui S. Ioannis Canonici in S. Mariae Maioris Basilicam, atque intra Sacellum Virgini addictum reportarunt, & ante aram collocarunt. Hos omnes facrum purpuratorum Patrum Collegium in fequebatur cerea accensa gestantium; tales autem exitere.

Cardinales, qui cum Proceffione facram Imaginem comitabantur.

Euangelifta Pallottus Epifcopus Tufcul. Card. Cufentinus.

Paulus Sfondratus Epifcop. Alban. Card. S. Caeciliae.

Benedictus tituli S. Laurentij in Lucina, Card. Iuftinianus.

Francifcus Maria tit. S. Mariae trans Tyberim Card. de Monte.

Octavius tit. sanctae Sabinae Cardinalis Bandinus.

Bartholomaeus tit. S. Mariae in Porticu Card. Caefius.

Bonifacius tit. S. Prifcae Card. Beuilacqua.

Francifcus tit. S. Mariae de Populo Card. Mantica.

Dominicus tit. sancti Honuphrij Card. Tufcus.

Robertus tit. S. Mariae in Via Card. Belarminus.

Antonius tit. S. Crucis in Hierufalem. Card. Zapata.

Ioannes tit. S. Marci Card. Delphinus.

Carolus tit. S. Clementis Card. de Comitibus.

Dominicus tit. SS. Duodecim Apostolorum Card. Gymnafius.

Iacobus tit. S. Stephani in Caelio monte Card. Samnesyus.

Ferdinandus tit. sancti Eufebij Card. Taberna.

Scipio tit. sancti Chryfogoni Card. Burghenius.

Ioannes Garfias tit. SS. Quatuor Coronatorum Card. Mellinus.

Marcellus tit. SS. Quirici, & Iulitae Card. Lantes.

Ioannes baptifta tit. S. Sixti Card. Lenus.

Fabritius tit. S. Augustini Card. Verallus.

Iacobus tit. S. Georgij in velabro Card. Serra.

Gafpar tit. S. Sufannae Card. Borgia.

Horatius tit. S. Saluatoris in lauro Card. Lancellottus.

F. Felix Centinus Ord. Min. tit. S. Hieronymi Illiricorum Card. Afculan.

Francifcus de S. Flora S. Mariae in via lata Card. Sfortia.

Alexander Perettus S. Laurentij in Damaso Card. de Montealto S. R. E. Vicecanc.

Odoardus S. Euftachij Card. Farnesius.

Andreas S. Angeli in foro pifcium Card. Perettus.

Aloyfius S. Agathae Card. Capponius.

Proceffionis initio Tibicines militum Pontificis cum ijs Capitolij aderant, nec non Arcis Tibiae in facelli clathris externis, laetitiam excitantes. Dum sacra Imago ex Basilica exiret centum mortaria igne turgente perforarunt; totidem vero dum in eandem regrederetur. Psalmo Te Deum absoluto, Blondus Patriarcha annotatam orationem cantauit, & populum benedixit. Pontifex post Sacrificium diluculo in Vaticano peractum, ad sanctam Mariam Maiorem per-

xit, ut his folemnibus adesset, & ufque eo permansit in Sacraij facelli conclauibus, in Choro supra S. Caroli Aediculam genibus flexis, donec omnia essent absoluta. Tanta vero populi frequentia exitit, ut nunquam nostris temporibus maior apparuerit. Etenim non solum Proceffionis via multis hominum millibus replebatur, sed etiam montes, valles, planities, & caetera; ita ut centum millia hominum numerum excederent, velut passim affirmabant. Summus Pontifex plenariam Indulgentiam per octo dies perpetuo concessit; qui dies tum mira pompa, atque apparatu, & magna Principum frequentia, tum sermonibus ab insignibus viris, habitis fuerunt illustrati. Ego ijs temporibus rem obseruavi, quam, nec ingratham, nec memoria indignam existimo. In mense Ianuarij dum hyems ingruerat, nec frigora, nec imbres dominabantur, sed aeris tranquillitas ver imitantis: quod ufque ad totam octauam perdurauit; qua absoluta, protinus imbres ceciderunt, & tempus se immutauit: nimirum ut Christi fideles, cognoscerent quam grata B. Virgini haec solenia extiterint. Quae omnia in Bulla foundationis facelli his verbis attinguntur: *Sacristiam quoque eidem Cappella noue annexa ad illius usum, nec non plures mansiones ad maiorem commoditate adiunximus, & deinde Cappellam nouam praedictam eiusdem Beatissimae Virginis ope adiuti plurimum annorum Pontificatus nostri curriculo omni adhibita diligentia nullis parcentes expensis absoluimus, atque perfecimus. & ad ipsius Dei omnipotentis, & eiusdem gloriosissimae*

Paulus V. Pont. Max. etiam B. Virginis folemnibus adesse noluit.

Mirus homini concursus ad B. Virg. Imaginis traslationem.

Mirus homini concursus ad B. Virg. Imaginis traslationem.

Mirus homini concursus ad B. Virg. Imaginis traslationem.

Paulus V. Pont. Max. etiam B. Virginis folemnibus adesse noluit.

ssima Virginis laudem, & honorem, ac erga eam  
 fidelis populi deuotionem augendam solemniter  
 sexto Kalendas Februarij eiusdem Pontificatus  
 nostri anno octauo, sanctam Imaginem prae-  
 dictam omnium S. R. E. Cardinalium cœtu, &  
 Prælatorum Rom. Cur. Capituliq; dicte Basilicæ,  
 & ferè totius Romani Cleri interuentu, ac fide-  
 lium vtriusq; sexus multitudine astante, ac etiã  
 nobis ipsis, in Cappella noua prædicta, in vna  
 ex quatuor ad chori usum destinatis mansioni-  
 bus, sacris ceremonijs præsentibus, pioque affectu  
 cuncta accipientibus debita cum reuerentia, &  
 religione diligenter à loco, vbi prius asseruabatur  
 amoueri, & solemniter processione extra ipsam Ba-  
 silicam per vias, & loca publica designata om-  
 nibus ostendendam, hymnis, & laudibus decan-  
 tatis, Clero vniuerso psallente circumferri, mox-  
 que in eandem Basilicam reportatam, ad eãdem  
 Cappellam nouam transferri, & supra Altare in  
 loco, seu Tabernaculo, vt præfertur, in mu-  
 ro altè exciso, & ad id decenter aptato inibi  
 sub diligenti custodia, clausuraque religiosissi-  
 mè seruandam collocari etiam mandauimus.

Hic sic peractis minus Pontifex quieuit,  
 sed eadem pietate perseverans, Organum  
 construendum curauit, musicos assignans  
 trecentumnummorum dote in singulos an-  
 nos, hac conditione, vt in sabbatis, Vigilijs,  
 & Virginis festiuitatibus, in quibus magna  
 populi frequentia cernitur, litanias Virginis  
 decantent, prout in bulla foundationis huius  
 Sacelli, ex qua hæc historia his verbis intel-  
 ligitur. Insuper ad diuinum cultum, & pio-  
 rum deuotionem in eadem Cappella quantum  
 possumus, augendum, singulis sabbati diebus,

A ac Beate Marie festiuitatibus, illarumque vi-  
 gilijs, ac in festiuitate translationis primo dicte  
 Imaginis, quam vltima die Dominica mensis  
 Ianuarij cuiuslibet anni in eadem Cappella cele-  
 brari iussimus, singulis quibusque annis perpetuis  
 futuris temporibus, Litanias cum Antiphona pro  
 tempore currenti eiusdem Beate Marie Virgi-  
 nis cum organo, armonia, & cantu figurato al-  
 ternis Choris decantandas, iterato instituiamus,  
 & ordinamus. Ac pro Cantorum, & aliorum  
 Ministrorum ad arbitrium Patroni pro tempo-  
 re existentis eligendorum, & ad eius nutum am-  
 mouibilem, salario annua trecenta scuta, iuxta  
 prouidam dicti Patroni pro tempore existentis  
 circumspectionem, & ordinationem Cantoribus,  
 & Ministris prædictis distribuenda, & erogan-  
 da de pecunijs propria dotis, & mense ipsius Cap-  
 pella fabricæ, & Sacristie soluenda assignamus,  
 quibus Litanis Prior, & singuli Cappellani, cum  
 eorum cottis semper saltem alternatim in loco,  
 modoque, & ordine per Scipionem Cardinalem  
 Protectore antedictum præscribendis, debeant in-  
 teresse. Verum quia Cappellani Toletani nuncu-  
 pati ad primodictam Imaginem, & illius Alta-  
 re instituti ex eorum institutionis huiusmodi præ-  
 scripto, seu alias Litanias ipsius Beate Virginis  
 singulis sabbati, & forsitan alijs diebus, etiam  
 recitare tenentur, ne ipsorum concursu Lita-  
 niæ à nobis, vt præfertur, institutæ quoquomodo  
 impediatur, statuimus, & ordinamus, quod  
 Cappellani Toletani prædicti de mane statim  
 post Missarum solemnias iniunctas eis Litanias  
 huiusmodi recitare debeant, prout hæctenus con-  
 sueuerunt, Litanie verò à nobis institutæ post  
 Vesperas decantentur.

FINIS LIBRI VNDECIMI.



DE BASI-

Paulus V. Pont.  
 Six. etiam h.  
 Virginis solen-  
 nibus adhibe-  
 rit.

Paulus V. Pont.  
 Max. organum  
 trecentumnum-  
 morum; assignans  
 doti caritatis.

Mirus homini  
 procedenti ad h.  
 Virg. Instigat  
 translationem.